

sordes peccati, quas & per aquam & Spiritum Sanctum aboleri oportet.

Q U A E S T I O, IV.

Quæ Baptismi efficacia, usus
& fructus.

87. *Confessio nostra ad hanc Questionem paucis respondet: Docent, quod per Baptismum offeratur gratia DEI, quòd pueri per Baptismum DEO oblato, recipiantur in gratiam DEI.*

88. *Nititur assertio isthæc expressis scripturarum testimoniis, quæ Baptismum nominant lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti & homines baptizari affirmant in remissionem peccatorum: & Ecclesiam à Deo purgari testantur, lavacro aquæ in verbo, & nos per lavacrum regenerationis itidem à Deo salvari pronuntiant. Tit. 3, 5. Act. 2, 38. Eph. 5, 26. 1. Pet. 3, 21.*

89. *Exoritur hinc geminus quasi Baptismi effectus sive fructus: Prior, propinquus & immediatus: ipsa nimirum regeneratio & renovatio Spiritus Sancti, quæ cum remissione peccatorum, gratiâ Dei, & justitiâ, individuo nexu est copulata.*

Poste-